



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

II. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Stephanus Rex & Apostolus Ungariæ, ex toto Marianus, eum nasciturum Matri conspicua Deipara prædixit, 10. Episcopatus, plurima templa ejus honori erexit, regnum deinde universum velut peculium Dominæ hæreditatem Reginæ obtulit. *In vita.* Felix regnum hæc reginâ.

S. Stephane tui imitatione totum ego me, id est microcosmum, Deiparæ per te devo-  
veo; illa sensuum internorum, & externo-  
rum, illa corporis, & animæ meæ, illa cordis  
& omnium mearum fit Regina Facultatum:  
sic totus sim hæreditas Mariæ: præsit illa vi-  
tæ & morti; quam optimam sperabo, si  
hujus Reginæ servus obiero. O Sanctissi-  
ma Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N.  
indignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
busque tam corporis, quam animæ viribus  
centies millies, imò infinities te saluto: te  
omni possibili omnium possibilium & actua-  
lium creaturarum affectu amare, tibi usque  
ad ultimum &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: cum D. Stephano  
quoties hodie Deiparam nominabo, toties  
Dominam meam esse dicam.

O Domina, princeps, atque Regina præstan-  
tissima, Dominarum Domina purissima, sub  
tuum præsidium confugimus, sub alis pietatis  
tuæ protege & custodi nos. *S. Ephr. de laud. Vir.*

Quæstio: An Ungaria potiori jure Apostoli-  
cam, an Marianum regnum dici debeat?